

num esset sicut Sanctus Christophorus. Illâ autem horâ quâ istis diis suis dant ad manducandum ivi ad videndum. Et hii isto modo comedere sibi dant. Omnia quæ illis offerunt comedenda eis calidissima¹ porrigunt, ita quod fumus illorum ascendit ad ydola quem ipsi pro comestione istorum ydolorum esse dicunt, aliud autem totum pro se habent et manducant;² et sic isto modo dicunt se bene pascere deos suos.³ Verumptamen hæc terra de melioribus est quæ hodie sint in mundo; et hoc in iis que posset habere corpus humanum.⁴ Multa alia de hac terra dici possent quæ non ulterius modo scribo.

31. *De civitate Fuzo et de mirabilibus modis piscandi.*

De hac contrata veni versus orientem ad unam civitatem quæ vocatur Fucho,⁵ quæ bene circuit per xxx miliaria, in qua sunt majores galli qui sunt in mundo. Gallinæ vero⁶ sunt albæ ut nix, non habentes pennas sed solum lanam ut pecus sunt portantes. Hæc civitas multum pulchra et sita super mare de quâ recedens ivi xviii dietis transiens per multas terras et civitates, aliaque diversa multa. Dum autem sic irem veni ad unum magnum montem, in unius cujus latere montis, omnia animalia illic habitancia nigra sunt,⁷ et homines et mulieres valde estraneum modum vivendi habent. Ab alio autem latere montis omnia animalia alba sunt,⁸ hominesque et mulieres ab aliis diversum modum vivendi habent. Omnes mulieres innuptæ unum magnum barile de cornu in capite portant ut cognoscantur quia nuptæ sunt. Hinc transiens per xviii alias dietas et per multas terras et civitates, et veniens ad unum magnum flumen, applicui ad unam civitatem quæ per transversum istud flumen habet unum pontem, in capite cujus in domo cujusdam hospitis fui, qui michi volens complacere dixit: Si tu vis videre bene piscari veni mecum; et sic me duxit super pontem istum. In quo dum sic essem aspexi atque vidi in illis suis barchis⁹ mergos¹⁰ super perticas alligatos, quos postea ille homo uno filo ligavit ad gulam ne illi se in aquam submergentes et pisces capientes illos comedere possent.¹¹ Unde in barcha una posuit tres magnas cistas unam ab uno capite navis, secundam ab alio, tertiam vero posuit in medio. Dum autem sic fecisset illos dissolvit mergos, qui se postea in aquam submergebant, et sic pisces quam plurimos capiebant, quos ipsimet postea in illis cistis ponebant, unde in parvâ horâ omnes illæ cistæ fuerunt plenæ. Ipse autem dum sic plenæ essent a collo eorum filum accipiebat et eos in aqua submergere permittebat, ut inde piscibus pascerentur; cum autem pasti essent ad sua loca revertuntur, et eos ibi ligat sicut prius erant; ego autem de piscibus illis manducavi.¹² Transiens inde per multas dietas alium modum piscandi ego vidi. Nam sunt homines habentes

¹ *Hak.* et *Mus.* et fumigantia.

² *Boll.* has sumunt et pro suis usibus reservant.

³ *Mus.* Et sic de fumo tantum deos suos pascent.

⁴ *Ven.* Et hoc in necessariis corpori humani.

⁵ *Ven.* Fuzo; *Far.* Fuc; *Hak.* Fuko; *Mus.* Fuco; *Boll.* Suctio (*misread probably*); *Marc.* Fuzo.

⁶ *Boll.* ita magnæ non sunt, sed.

⁷ *Hak.* ut carbo; *Bol.* has simply in cujus latere nigra animalia morabantur, ex alio autem latere ejusdem montis animalia sunt alba.

⁸ *Hak.* ut nix.

⁹ *Hak.* has brachiis (*clearly an error*) and so translated.

¹⁰ *Far.* has smergos.

¹¹ *Ven.* ne cum pisces cepissent ipsos deglutire possent.

¹² *Hak.* et optimi mihi videbantur.